



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Propter veram, hoc est, propter æternam gloriam rectè homines  
operari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Philosophus scribat, non esse verè fortes, qui propter honorem fortia faciunt. Mutius Scævola igitur, & Curtius, & alij similes non fortes sunt appellandi, sed ambitiosi, quia inordinatè honorem appetierunt. Et multi alij quoque ad virtutum opera, ex appetitu gloriæ humanæ (quemadmodum etiam ex aliorum terrenorum bonorum appetitu) prouocantur; haud tamen is, qui ob humanam gloriam opera virtutis facit, verè atque absolutè, dicendus est virtuosus, vt D. Augustinus demonstrat.

Quid igitur? An non ipsæ diuinæ litteræ homines promissione gloriæ ad bona opera inuitant? Nonnè David ait: *Inclinasti cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem?* Et Paulus: *Is quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorè querunt?* Ita sanè aiunt isti, sed loquuntur de retributione & gloria, quæ à Deo habetur, & vera est plenaq; retributio & gloria; & non vana, & inanis sicut illa, quam Ethnicus alijq; sæculi homines spectauerunt. Vnde alio loco ait Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur: non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Hæc ergo vera, & à Deo profecta gloria, in diuinis litteris, bonis operibus, præmij loco, repromittitur. Quare rectè statuit Conc. Tridentinum, pium & sanctum esse, intuitu gloriæ ac mercedis æternæ, operari. Quidquid enim à Deo est, quidquid æternum est, vanum non est. Vera igitur gloria, non vana; diuina non humana nobis proponitur, quæ nos inflammet ad præclara quæque agredienda. Illa filios Dei; hæc seruos mundi capit. Ita enim vel Ethnicus Philosophus censuit. Nam Diogenes Cynicus, cum præconem in Olympijs ita pronuntiantè audiuisset, *Dioxippus vicit viros: correxit Diogenes: Hic*, inquit, *mancipia potius vicit, ostendens eos nequaquam esse viros, qui in his certarent spectaculis, sed mancipia potius gloriæ peritura.* Scitè S. Ambrosius pièque scribit: *Tantus splendor honestatis est, vt vitam beatam efficiant tranquillitas conscientia & securitas innocentia. Et ideo sicut exortus sol, Luna globum & cetera stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis, ubi vero & incorrupto vibrat decore, cetera qua putantur bona secundùm voluptatè corporis, aut secundùm sæculum clara & illustra obumbrant. Beata planè qua non alienis aestimatur indicijs, sed domesticis percipitur*

S. Augustin.  
lib. 5. de ciuit.  
cap. 12.

V.

Psal. 118. 112.

Rom. 2. 7.

2. Cor. 10. 17.

Conc. Trid.  
sess. 6. c. 11.

Diog. Laërt.  
lib. 6. cap. 5.

S. Ambros.  
lib. 2. offic.  
cap. 2.



*capitur sensibus, tamquam sui iudex. Neque enim populares opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pavet. Itaq, quo minus sequitur gloriam, eo magis super eam eminent. Nam qui gloriam requirunt, ipsa ea merces presentium, umbra futurorum est, qua impedit vitam aeternam.*

CAPVT XXI.

*Gloriam Deo debitam, Deo dandam, immò Deum in gloria appetenda imitandum.*

I.



Inc multa deducuntur pia corollaria. 1. Cùm gloria, inter omnia externa bona, sit summum bonum, eam meritò deberi Deo summè excellenti, ac summè bono; ad cuius proinde maiorem gloriam Sanctissimi quique omnia fecerunt, ipso Apostolo ita suadente: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod consilium plurimi sequuntur, qui saltem virtute, si non actu, omnia sua in Dei gloriam referunt; quamquam aliqui saltem die Dominico omnia secura hebdomadis opera; aliqui singulis diebus manè, totius diei negotia; aliqui singulis horis offerant. Tertullianus, & D. Hieronymus testantur, olim, apud Christianos moris fuisse, vt initio operis cuiusq; se se cruce signarent, quasi dicerent: *Hoc opus fiat ad gloriam Dei, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et quidem orationes, ieiunia, eleemosynæ, aliaq; virtutù opera facile ad Dei gloriam fieri possunt; sed quarit D. Basilius, quo modo quis ad gloriam Dei possit manducare & bibere? & respondet: Si beneficiorum Dei memor, ita animo & corpore sit compositus, vt non tamquã securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habeat Deum; & si proponat, non vt ventris mancipium, ob voluptatē, manducare, sed tamquã operarius Dei, vt vires habeat ad fortùs ei seruiendum, & opera atque mandata Christi exequendum; quod est comestionem & potum in Dei laudem, non ad voluptatem referre. Qua de causa idem S. Pater alibi, recitatis illis Apostoli verbis, *Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite,* hæc subiungit: *Accumbens mensa, ora: esitans panem largitori gratiam rependite*

1. Cor. 10. 31.

Tertullian. lib. de corona milit. S. Hieron ep. ad Eustoch.

S. Basl. in breuior. regul. 196.

S. Basl. homil in Iulit tam martycem.